41/Nr.12
Lane Medical Libra

DE

GANGRAENA NOSOCOMIALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS.

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE II. APRILIS M. A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
CAROL. PHILIPP. HILSENBERG,
HEILIGENSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:
A. MUELLER, MED. ET CHIR. DD.,
C. SCHIEGNITZ, MED. ET CHIR. DD.,
C. ISEKE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes.

CAROLO HILSENBERG,

PATRI OPTIMO,

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM,

DEDICAT

AUCTOR.

LIBRI,

QUIBUS IN DISSERTATIONE ELABORANDA USUS SUM.

Dusſausſoy, Dissertations et observations sur la gangrène des hôpitaux avec les moyens de la prévenir et de la combattre. à Lyon 1787.

Richter, chirurgische Bibliothek, XI. Bd. pag. 189.

Richerand, Nosographie chirurgicale. Tom. I. à Paris 1815.

Hufeland, Journal der pract. Heilkunde. VIII. Bd. 4. St.

Ejusdem X. Bd. 1 St.

Renard, über Hospitalbrand. Mainz 1815.

Guil. Sprengel, Animadversiones castrenses, dissertatio inauguralis. Halae 1816.

Brugmann und *Delpech*, über Hospitalbrand, übers. von *Kieser*. Jena 1816.

Boyer, Abhandlung über chirurgische Krankheiten und die dabei angezeigten chirurg. Operationen, übers. von *Kajetan Textor*. Würzburg 1818.

Salzburger med. Zeitung, Jahrgang 1812.

Dictionnaire des sciences médicales. Tom. XLV. à Paris 1820.

Joh. Hennen, chirurgische Handbibliothek, aus dem Englischen. 3. Bd. Weimar 1822.

Langenbeck, Chirurgie, III. Bd. Hannover 1822.

Ejusdem, neue Bibliothek, 2. Bd. Hannover 1820.

Samuel Cooper, neues chirurg. Handbuch, aus dem Englischen übers. von *v. Froriep*. Weimar 1819.

Gangraena nosocomialis, de qua scripturus sum, in devastatione quidem partium corporis gangraenae speciem fert, caeterum autem plane differt a gangraena vulgo sic dicta; qua re, quae habet nomina gangraena humida, nosocomiorum, pourriture d'hôpital, gangrène humide, hospital versterving male accommodata esse videntur.

Gangraena nosocomialis semper dependet, ut videbimus, e causis externis, semperque percurrit eadem stadia; gangraena, propria contra et internis et externis causis, organismo aegroti alienis provocatur; quarum effectus fere semper inter se differunt, imo contrarii occurrunt. Progressus gangraenae propriae saepe solummodo viribus organismi impediuntur, gangraena nosocomialis e contrario minime his devincitur. In gangraenae propriae paucioribus speciebus progressus arte arcentur, gangraena in nosocomiali ars medicatrix omnia valet. In gangraena porro, vulgo sic dicta, forma et structura partium affectarum diutius adhuc permanet, sed vi vitali ab initio deleta, agunt vires physicae, nunc evaporatione humorum partes exsiccantes, nunc fermentatione putrida eas devastantes, nullo dolore aegrotum premente, donec tandem fausto in eventu annulus inflammatorius linea circumscripta emortuam sanamque inter se disjungit partem nisusque organismi emortuas partes amovere conatur. Gangraena autem in nosocomiali signa plane alia observantur; defectus substantiae, primum gangraenam nosocomialem indicans signum, partes affectae ab initio dissolutae, partes inficiendae plane sanae sunt,

imo vis vitalis earum adhuc aucta est, adeo ad inflammationem usque irritabilitas crescit, dolores acerbissimi exoriuntur. In degressu morbi nulla crusta gangraenosa est ejicienda, non exoritur annulus inflammatorius, inflammatio ad cicatrisationem efficiendam pauca, lenta est, perque longum tempus perdurat.

HISTORIA GANGR. NOSOC.

Auctores primi, qui de gangraena nosocomiali scripserunt, sunt *Lamotte* et *Pouteau*. Veteres, Graeci et Romani, nec non Arabes, mentionem fecerunt de ulceribus quibusdam sordidis et gangr. nosoc. non dissimilibus, quae, ex intemperie exorta, remediis antisepticis, escharoticis sanantur. *Guido de Chauliac* definitionem cujusdam ulceris sordidi et putridi, nostrae gangraenae fere convenientem dat. „Dicitur „ulcus, quando sua malitia putrefacit membrum, „dimittendo viscositatem aut carnem mollem sive „crustosam, foetidam, a qua fumus attollitur foeti„dus et cadaverosus." Inter recentiores nonnulli de gangraena nosocomiali disseruerunt, plurimi autem usque ad *Pouteau* confuderunt in descriptione eam cum gangraena humida. *Dusſausſoy* primus sane fuit, qui, eam distinguens gangraena humida, eidem nomen hoc gangraenae nosocomialis indidit; et sane non mirum est, gangraenam nosocomialem non prius chirurgorum attentionem ad se attraxisse, quam cum nosocomia instructa essent, in quibus aegroti saepius accumulabantur; exque *Paraei* libro decimo et undecimo, in quibus tractantur vulnera sclopedaria, patet, haec vulnera, nisi gangr. nosoc. nostra, tamen simili infecta fuisse, quod illis temporibus glandibus venenatis imputabatur.

NATURA GANGR. NOSOC.

Natura gangr. nosoc. constat in quodam specifico statu morboso partis cujusdam vulneratae, sub inflammationis forma apparet, quae rapide in exulcerationem mortificationemque transiens semper progreditur, citissime partes minori vi vitali gaudentes ut telam cellulosam consumit, musculos autem, tendines, nervos et ossa serius demum invadit, sanaturque nunquam sola vi organismi.

Quae, vulnus quoddam gangraena nosocomiali infectum esse indicant signa, sunt: dolor auctus, secretio vulneris diminuta, puris spissi aut aquosi, massa tenax, albida, substantiae cerebri similis in vulneris fundo, qui ruborem amisit. Multis in punctis fundi maculae griseae ex albo luteae apparent, ulceribus syphiliticis aut aphthis similes, quae singulae maculae celeriter in unam magnam coëunt, ita ut vulneris tota superficies colorem accipiat cinereo-albidum odorque specificus jam intrat. Quae maculae ut in latitudinem sic et in profundum se extendentes corrodunt partes affectas, tamen tempus progrediundi varium est. Quando gangraena nosocomialis lente progreditur, in altera vulneris parte sana suppuratio, color et granulatio eadem ut antea, adeo cicatrisatio sanae procedit, dolor solummodo auctus est. Sin vero in casibus gravioribus vulnus totum statim gangraena nosocomiali inficitur, ab initio dolor acerbissimus, progressus rapidi exoriuntur, superficies vulneris seu ulceris affecti in griseam, plus minusve duram, transmutatur; in cute vulnus ambiens adspicitur annulus colore atropurpureo, fere semper oedematosus in latitudinem progrediens semperque, quaeque fuerit vulneris forma, in quaque parte, imo in ossibus, in rotundam mutatur. Saepe, cum aegrotus constitutione robusta, causae parum efficaces fuere, gan-

graena hoc stadio terminatur, saepissime autem progressus rapidissimi, horribiles intrant, margines oedematosi vulneris aut ulceris indurescunt, recurvantur, caro in fundo ulceris se elevat, intumescit, magna gasis massa, qua impleta videtur, evolvitur, tunc decadunt stria mollia, ex rubro albida, massae cerebralis e foetu aemulantia; odor specificus hoc stadio jam e longinquo sentitur. Superficies ulceris tunc edit pus ichorosum, copiosum, foetidum, per dies partes vicinae eroduntur, aponeuroses, musculi, arteriae, nervi, tendines, periostium, ossa arripiuntur, donec arte progressus sistuntur.

FEBRIS NOSOCOMIALIS EJUSQUE DISTINCTIO A GANGRAENA NOSOCOMIALI.

Febris secundum alios ante exortam gangraenam simul cum infectione intrat, secundum alios inflammationis tempore accedit, et tertii eam plane non observarunt in gangraena nosocomiali, nisi devastatio topica permagna pathema universale provocaverat. Sunt auctores, qui ex febre in aegrotis, vulneribus sanis occupatis, gangraenam mox intrantem praesagivere, et cum in epidemiis, bellorum tempore grassantibus in vulneratis febrem nosocomiorum mox gangraena nosocomialis secuta est, ex his concluderunt, febrem nosocomialem pathema totius corporis, gangraenam autem pathema locale ejusdem morbi esse. Analogiam quandam inter ambas esse exortus et decursus indicare videntur, tamen neque idem morbus neque multo minus forma topica ejus est gangraena nosocomialis. Utriusque morbi analogiam sane nemo negabit, qui reputat utrumque ex confluxu earundem virium nocentium, quae praecipue et summa vi agentes in nosocomiis, magno aegrotorum numero impletis, inveniuntur, originem ducere, utrumque contagio,

cum corporibus solidis et aëre se communicante, inficere, utrumque simili rapiditate, quod in corpus impetum facit, enecare, ea modo differentia, quod febris mortem aegroti ipsius, gangraena tantum partis affectae provocat. Gangraenam nosocomialem autem non morbum eundem ac febrem, non vim diminutam, actionem topicam contagii, non tam validam, ac in febre, sed morbum proprium, contagio proprio praeditum, esse, elucebit ex sequentibus.

1. Ambo morbi itaque etiam contagia eorum, si eadem essent, tum quoque contagium in vulneratis gangraenam, in non vulneratis febrem nosocomialem necesse esset, ut provocaret. Observata autem docuerunt, in nosocomiis vulneratos et febre nosocomiali affectos eodem tempore fuisse, illosque minime gangraena nosocomiali infectos.

2. Partes gangraena nosocomiali affectae odorem quendam specificum, ab omni alio varium minimeque a putrefactis partibus provocatum, exhalant, qui odor nullo alio in morbo contagioso, imo non in febri nosocomiali, percipitur, quique differentiam amborum morborum luculenter designat.

3. Febris nosocomialis multis in aegrotis sola organismi vi, nullis medicaminibus adhibitis, terminatur, gangraena nosocomialis e contrario semper progreditur, et nunquam sola, quae dicitur, vi naturae medicatrice sanatur, unde id contagium multo majori vi devastandi praeditum videtur.

4. Febris nosocomialis semel tantum hominem aggreditur eundem, gangraena autem vulnus idem pluries inficit.

FEBRIS GANGRAENAM SEQUENS.

Varium est, quo tempore febris intrat, interdum die quinto aut sexto gangraena exorta, et id

quidem in illa mox describenda ejus specie, plerumque autem die decimo secundo ad diem decimum quintum apparet. Functiones jam ante exortam febrem turbantur, dolores acriores per totam noctem aegrotum somno privant; appetitus ciborum diminuitur, aut plane est nullus, lingua pallida, alba, muco tecta arescit, hypochondria dolent, pallida facies, tristis oculus statum aegroti intra paucos dies plane alium efficiunt, quae omnia febri praecedentia vim ejus magnam annuntiant. Nunc exoritur febris, intrat fere nunquam cum horrore, semper signo complicationis, morbo primario alienae. Pulsus parvus, debilis, frequentia et celeritate augetur, cutis arida pallescit, dolores capitis acerbissimi intrant, sitis permagna; crescendo febris in continuam, exacerbationibus non discernendis transit. Ex crescente pulsus celeritate, faciei, vultus mutatione, pallore, ex oculi timiditate praesens periculum judicatur praecipue. Aegroto, levi somno arrepto, clausis oculis, deliriis fere nunquam intrantibus, conscientia status sui remanet, crescente debilitate immutabilis dorso incubat, musculi relaxantur, pulsus frequentissimus, minimus tamen regularis est, tandem, viribus plane exhaustis, morte aegrotus terminat. Haec omnia symptomata graviora febris, solummodo magnis devastationibus topicis praegressis, intrant.

VARIAE SPECIES GANGR. NOSOCOMIALIS.

Secundum auctores, qui de gangraena nosocomiali scripserunt, quorumque descriptiones valde differunt, plures species discernendae sunt.

Prima. Gangraena nosocomialis ulcerosa plane in locum infectum finita est, apparet aut singulis aut pluribus punctis vulneris seu ulceris, quoque ab

initio superficiem totam arripit. Signa progressus etc. jam sunt prolata.

Secunda. Gangraena nosocomialis pulposa, ut ulcerosa, ab initio vulnus seu ulcus totum, aut solummodo partem quandam, inficere potest, progressus autem multo rapidiores sunt. Dolor praegrediens vulneris papillis carnosis colorem violaceum induit, post dies duos ad tres superindumentum semipellucidum, album obtegit vulnus, quod attritum satis fortiter adhaeret. Consistit hoc superimpositum ex tenui pseudomembrana, papillis carnosis inhaerens, plus minusve dura, secreto ulceris fere omnino non perpenetrabilis. Crescente morbo membrana haec fit crassior, vulnus magis dolet, margines et circuitus fusco colore tinguntur, fracescunt, superimpositum crassum ex albo ravescit, in massam pultiformem mutatur, caro regenerata, tela cellulosa, musculi, adeps, omnia in unam massam coëunt. Color ulceris est ruber, flavus, fuscus, viridis, ater, transitibus conjunctis; ichor odore specifico, foetidissimo fere semper colore coeruleo-viridi est, circuitus lividus saepe crassus, saepe tenuis, inaequalis, mollis, interdum autem durus, callosus, extrorsum curvatus; forma ulceris non ut in priori rotunda, sed varia, odor specificus quoque non plane idem est. Ulcera, hoc stadium assecuta, vehementer dolent, ut hac ratione nullum aliud ulcus, fortasse carcinomate aperto excepto, hoc cum ulcere gangraenoso comparari possit. Deligatio, quam cautissime facta, dolores acerbissimos provocat, qui non raro, praecipue si singuli tendinum aut musculorum fasciculi charpiae adhaerent, aut ex improviso pars affecta premitur, imo ad eam vehementiam usque, ut convulsiones provocare valeant, augentur. Febris gangraenam mox sequens, natura nervosa, una cum progressibus mali topici augetur.

Tertia species ut secunda incipit cum formatione pseudomembranae in vulneris superficie, sed per membranam et partem affectam sanguis penetrat, ut in ecchymomate. Si diligentius adspicis ulcus tale, partes subjacentes sanguinem edidisse videntur, speciemque haemorrhagiae, quae, magna copia sanguinis in telam cellulosam emissa, eo ipso supprimitur, prae se fert. Singula loca affecta hac in specie celerius in unum coëunt, progressus rapidiores semper, profundiores, non solum in parte affecta, sed in toto vulnere ejusque circuitu dolor acerbissimus sentitur. Nonnulli auctores hanc speciem, complicationem speciei prioris cum scorbuto esse putant, et me hercle non mala haec conjectura; ipse in casu quodam similem decursum in ulcere scorbutico, gangraenae nosocomialis prima specie affecto observavi.

DISTINCTIO GANGR. NOSOC. AB ALIIS SIMILIBUS MORBIS.

Gangraena nosocomialis ulcerosa, nisi ab initio totum vulnus occupat, sed ex singulis maculis proserpit, plane non alio cum morbo topico permutanda est, praecipue si adhuc in formam semper rotundam atque in specificum ab omni alio diversum odorem respicis. Gangraena vero nosocomialis pulposa speciesque tertia cum ulceribus vulneribusque quibusdam commutari possunt. Inflammatio levis, praesertim gastrica complicatione simul praesente, in vulneris superficie saepe pseudomembranam, ut in stadio primo gangraenae nosocomialis, progignit, sed dolor nunquam idem ut in gangr. nosoc.; membrana semper albida, tenuis, solvitur in flocculos, fundus ulceris sanus, colore rubro, papillis carnosis praeditus est. Prosunt hac in inflammatione emollientia vulneri seu ulceri imposita,

interneque emeticum. Status hic peculiaris confusus cum gangraena nosocomiali plane in errores in sananda gangraena ipsa nosocomiali induxit, dum plures putarunt, gangraenam morbum symptomaticum interdum esse et solummodo emollientibus et emeticis sanari posse. Commutationi alteri dari potest locus cum vulnere quassato, si cutis magna pars quassata in mortificationem transit, albida striis sanguineis commixta apparet superficies, sed hic causa morbi curaque distinctionem praebent, desuntque forma rotunda odorque specificus. In vulnere suppurante ex improviso quassato interdum haemorrhagia exoritur, sanguis extravasatus in superficie maculas violaceas fuscas efficit, sed maculae se elevant super fundum ulceris, in gangraena nosocomiali contra maculae sunt excavatae, illae evanescunt, hae contra crescunt.

STADIA GANGR. NOSOC.

Ut in quovis morbo, sic etiam in gangraena nostra stadia quaedam observatori se offerunt; eo tamen discrimine, ut, quod criticum vocatur, stadium in ea nunquam sola vi naturae, sine artis auxilio, intret, ut igitur hoc stadium, nisi forte quis exitum faustum, ope artis effectum ita nominare velit, plane desit. Tria sunt discernenda stadia, quae sunt: stadium infectionis, stadium inflammationis et stadium gangraenosum; quorum autem decursus modo rapidior, modo segnior, non tam arcte destinari potest, quippe qui in singulo quovis casu a vehementia morbi et auxilio artis dependet. Stadium primum, ut plures se observasse dicunt auctores, per horas viginti ad triginta sex se extendit, quibus post infectionem praeterlapsis prima gangraenae nosoc. signa una cum stadio secundo intrant. Tempus stadii inflammatorii, quo in pure contagium jam con-

tentum est, quod ex odore specifico apparet in dies duos ad quatuor perdurare potest, tempusque stadii gangraenosi solummodo cura adhibita dependet. Quo tempore intret febris, varium est secundum vim vigoremque gangraenae, mox citius mox serius accedit, interdum die sexto, plerumque autem die decimo quarto.

AETIOLOGIA GANGR. NOSOC.

Dispositio in gangraenam nosocomialem omnibus vulnere, quamquam lenissimo, aut ulcere laborantibus inest, cur autem alii aliis vulneratis magis disponuntur, cur alii iisdem conditionibus non inficiuntur? nondum plane demonstratum est. Dispositionem ad infectionem omnia, vim vitalem deprimentia augent, morbi praegressi, dyscrasiae humorum, domicilia in aëre depravato, humido, victus insalubris, parcus, affectiones animi deprimentes, ut dolor, anxietas, nostalgia. Tunc vulnera quaedam proclinant, ut larga, inveterata, quassata, ulcera scorbutica, mercurialia. Sed ut vulnus quoddam implicetur gangraena, contagium jam adesse oportet, aut potentiae nocentes tantae tamque validae, ut ex his contagium enascatur, sicuti in omnibus morbis epidemice contagiosis. Gangraena nosocomialis plerumque commissis praeliis observata est, si nosocomia magno vulneratorum numero impleta sunt, si aegroti tunc apto victu, munditie, omni cura idonea carent, si aër, exhalationibus eorum, vulnerum etc., depravatur, et aëri recenti aditus non satis datur. His sub conditionibus faciliter miasma nascitur, quod gangraenae nosocomiali occasionem dat, se formandi, quae, semel orta, ad contagium producendum satis superque sufficit. Adjuvant tum nascens contagium aër humidus, frigidus, ut *Hippocrates* jam dixit in libro de aëribus,

locis et aquis. „Si aestas pluviosa fuerit phagedaenas adedentes in omni occasione oboriri verisimile est, si ulcus fiat." *Desault* observavit in nosocomio parisiensi gangraenam nosocomialem in aulis supra flumen (Sequenam) positis multo frequentius exortam esse, quam in aliis. Favent porro contagio fienti febri laborantes, praesertim febri nosocomiali, dyssenteria, si adhuc cum aegrotis vulneribus latis, magnam copiam puris ichorosi edentibus in aula eadem locati sunt. Contagio jam genito omnia vulnera mox inficiuntur, primum largiora, quassata, ulcera scorbutica, inveterata, tum vulnus simplicissimum, vulnus venae sectae; sed gangraenam nosocomialem in parte cute nondum denudata enasci nondum observatum est.

Contagium in vulnere quodam affecto enascitur, simulac mutationes status prioris observantur, in stadio inflammatorio jam in vulnere adest, exinde non productum putrefactionis, gangraenescentiae, sed productum semenque ejusdem morbi esse elucet. Contagium praecipue ex odore specifico cognoscitur, de quo jam supra tractatum est. Ubi enim in aulam, etsi permagnam, intras, ex odore jam perspicies, num quis aegrotorum gangraena nosocomiali affectus sit. In aëre et pure infecto ex analysibus chemicorum invenimus massam animalem, hoc cum odore specifico praeditam, in partes varias non amplius solvendam. Praeter hanc in aëre ex conclavibus nosocomiorum, in quibus gangraena nostra grassabatur, invenerunt quidam majorem quantitatem gasis carbonei et hydrogenei, quibus autem desumtis odor specificus ille remansit, donec massa haec animalis sejungebatur. Contagium adhaeret aquae cum aëre eo gravido agitatae, inhaeret corporibus solidis et his in vulnera alia infertur. Contagio inest magna vis, aëre solo, lavan-

lavandis et insolandis linteis infectis non exstinguitur; per longum tempus vis infectionis remanet, secundum quosdam auctores per plures annos. Omnia haec probant contagium vi ac vigore plenum, quod, quamquam volatile, tamen per longius tempus resistit vi gasis oxygenii, quam alia contagia volatilia, ut variolarum, scarlatinae, morbillorum. — Plane destruitur contagium acido muriatico, sulphurico, nitrico et acetico, kali caustico, argento nitrico, certissime autem acido muriatico oxygenato et forma fluida et aërea, fumigationibus nempe ex natro muriatico cum mangano et acido sulphurico secundum *Guyton Morveau.* Mediorum, quibus contagium ab altero ad alterum transfertur, princeps est aër atmosphaericus; nam secundum ordinem primo proximus inficitur, tum singuli deinceps alius alio inficiuntur, infectioque eo facilior, quo calidior, humidior, et vaporibus animalibus quo magis foedatus est aër. Porro instrumentis chirurgorum, pure vulnerum infectorum inquinatis non raro infectio facta est. Simili modo, ne vestimentis aut ad deligationem servientibus, quae non modo pure infecto, sed et eo, quod in aëre contagioso posita fuerant, nocere possunt, inficiatur quis, caute cavendum est. Denique crusta sphacelosa ferro candente provocata contagium continere et inficere posse dicitur.

PROGNOSIS.

Complicatio semper maligna est gangraena nostra, retardat sanationem vulneris, vi medicatrice naturae non evincenda semper propagatur, majori cum celeritate partes sanas devastat, tandem imo ad mortem ducit, aut devastationibus largis organorum ad vitam sustinendam necessariorum, aut emaciatione. Prognosis tum semper pessima, si res

externae, contagioni faventes, non statim sunt amovendae ut praeliis commissis saepe fit, cum aegroti, quorum numerus saepe omnem exspectationem excedit, rite collocari et curari nequeunt, cum jam per plures dies aëri frigido tempestatique infaustae expositi tandem in aedificia magna illati, pauxillo straminum incumbentes, victu salubri, calore, munditie curaque idonea carent; hoc rerum statu contagio nascenti, crescenti limina non sunt arcenda, omnes vulnerati inficiuntur, infelices mox febri putridae succedenti, mox doloribus acerbissimis, morbum comitantibus, mox profluviis sanguinis saepe e vulnere reïteratis, debilitati et marasmo, fere inevitabilibus accedentiis succumbunt. Differt prognosis secundum locum a gangraena nosocomiali infectum, si ex. gr. vulnus trepanatione ossium cranii effectum ab ea arripitur, si tegumenta consumuntur et super cerebrum ipsum gangraena se extendit inevitabilis mors instat. Periculo majori semper in partibus, magnis arteriis praeditis, dum haemorrhagia corrosa ex arteria debilitatem auget, iterata interitum accelerat, et profusa statim mortem afferre potest. Anceps, dubiosa prognosis, si in articulatione membrorum gangraena locum cepit. Reïteratae infectionis semper pejor prognosis quam primae. Alii morbi, gangraena cum nosocomiali complicati, non magnam in gangraenae decursum vim habent, nisi putredini aut mortificationi organismi favent, ut ulcera inveterata, scorbutica, carcinomatosa, febris putrida.

Prognosin bonam exhibent dolores mitigati, collapsus marginum tumefactorum, copia ichoris diminuta; meliorem adhuc ichor in pus bonum se commutans, fundus vulneris sensim sensimque superindumentis membranaceis se purgans, qui colo-

rem suum rursus accipit rubrum, mutationem vulneris aut ulceris gangraenosi in simplex indicans.

THERAPIA.

Priusquam de curandi methodo ipsa disserimus, licitum sit, proferre quaedam praecepta prophylactica, tunc quaedam vim contagii grassantis delentia.

Ne contagium enascatur, evitanda sunt omnia antea prolata, contagium provocantia; porrigenda sunt alimenta nutrientia, secundum quosdam auctores evitanda sunt, quae regnum animale offert alimenta. Potus roborantes, incitantes, ut cerevisia vinum, munditiés summa omnium in nosodochio praesertim autem aër purus, siccus, ut adsit, semper curandum est. Si his omnibus omni cura observatis tamen gangraena nosocomialis in cujusdam vulnere observatur, aegrotus hic statim ab aliis est sejungendus, translocandus in aulam amplam, aëre puro, luce clara, omnisque communicatio cum non infectis interdicenda est, omniaque contagium decomponentia statim summa cura adhibenda, praecipue statim sunt faciendae fumigationes ex natro muriatico cum acido sulphurico et mangano. Si per nosodochium totum gangraena saevit, nil melius, quam ut omnes aegroti sub divo in tentoriis collocentur, donec omne contagium fumigationibus praedictis deletum sit, omniaque conclavia cubiculaque dealbata sint; plures enim auctores praestantiores observarunt, dealbatam aulam per longum tempus omne contagium ab aegrotis avertere, etsi quid hoc sit, quod avertat, ignorant. Sed si tempestate hyberna, pluviosa, tempore bellorum vulnerati translocari non possunt, numerusque eorum in dies augetur, fieri sane potest, ut contagium per longum tempus saeviat in vulneratos, et exstant

exempla, in quibus gangraena nostra per plures annos in nosodochiis permagnis, praesertim francogallicis, summo vigore saeviebat, quae fere omnes et illos, qui leviter solum et in carne vulnerati erant, corripuit, plurimosque interemit.

Remediorum topicorum ad tollendam gangraenam ipsam sunt permulta, fere omnia antiseptica jam adhibita. Nonnullorum remediorum mentionem ut faciam, licitum sit. *Dufsaufsoy* laudat, pulverem chinae cum oleo terebinthinae, vulneris superficiem pulvere corticis chinae inspergere et ope olei terebinthinae superinstillatae speciem malthae formare omne vulnus tegentem, hancque applicationem in singulos dies aut in biduum reïterare praescribit. Applicatione quarta aut sexta gangraenae signa omnia sunt sublata secundum auctoris experientiam, probatque hanc methodum *Brünninghausen*. *Wenzel* inspergit in vulnus gangraena affectum camphorae pulverem, eventumque faustissimum observavit. Casibus in mitioribus haec medicamina sane tollunt gangraenam, in gravioribus autem et saevioribus inefficacia nihil valent, in quibus utendum est medicaminibus fortioribus gangraenam dirimentibus, causticis. Sunt praecipue acida primo mitiora, acetum vini, acidum tartaricum, citricum; tum corrodentia: acidum sulphuricum, nitricum, muriaticum, aut pura aut aqua diluta. Praestantissimum autem acidum muriaticum oxygenatum esse, experientia docuit. Quo acida non satis fuere valida, adhibuerunt argentum nitricum, lapidem causticum chirurgorum et solutione et forma sicca, arsenicum oxydatum album in solutione secundum Fowlerum, quod remedium praestantissimum se ostendit *Blaccadero*. Omnibus his medicamentis frustra adhibitis nihil remanet nisi ferrum candens, per quod tota ulceris gangraenosi

superficies una cum marginibus affectis in esscharam mutatur; tamen semper circumspecte applicandum est, ne vasa sanguifera in propinquo locata simul comburantur. Cum devastatio partis gangr. nosoc. affectae permagna, restitutio ejus plane non recuperanda est, quod evenit saepe in articulationibus membrorum, praesertim poplitis, quidam fausto cum eventu amputatione usi sunt, tum autem cautissime vulnus a nova infectione tuendum est.

Febris, ut antea dictum, secundum gangraenae gradum aut ocius aut serius intrat; ne complicatio gastrica exoriatur, alvus aegroti aut emeticis aut laxantibus evacuanda est. Plerumque emicat in febri debilitas omnium systematum, unde methodus excitans tota, quanta et qualis est, applicanda; tunc autem, ubi ad dissolutionem et corruptionem vergat, antiseptica et acida mineralia praecipue admiscenda. Ex veterioribus *Dufsaufsoy*, etsi venaesectionem letalem censet, tamen methodo minus excitante usus est, cremorem tartari verum specificum arbitratur remedium. Ex recentioribus Dr. *Hennen* venaesectionem laudat. Jam antea per aestatem nonnunquam methodo excitante usus erat, versus hiemem character epidemicus inflammationibus favebat, haemorrhagiae fortuitae vasis ex sanguiferis arrosis eventu fausto fuerunt, quibus edoctus venaesectionem casu in quodam instituit cum eodem eventu. Ex hoc tempore, si pulsus duri, dolores vulneris acerbissimi intrarunt, summo levamine vena secabatur, nunquamque vulnus venae sectae gangraena nosocomiali infectum est.

VITA,

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTA.

Ego, *Carolus Philippus Hilsenberg*, decimo tertio Calendas Decembris anni MDCCCIV Heiligenstadii in principatu Eichsfeldiae patre optimo *Carolo*, matre carissima e gente *Mande*, quos utrosque parentes adhuc inter vivos esse Deo optimo maximas gratias ago, natus, confessioni catholicae addictus sum. Primordiis literarum imbutus per septem annos in Gymnasio ejusdem urbis a viris eruditissimis, *Lingemann*, Directore, *Turin*, *Hindenberg*, *Ludolph*, Beat. *Frohne*, *Rinke*, Professoribus, quibus omnibus, optime de me meritis, publice gratias ago maximas, literas accepi, quae ad studia academica viam muniunt. Anno MDCCCXXIII. Berolinum me contuli ubi, mense Aprili Instituti regii medico-chirurgici Friderico Guilelmiani civibus adscriptus, per quadriennium hisce interfui summorum virorum lectionibus.

De logice et psychologia Cel. *Wolff* disserentem audivi; de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum Illustr. *Rudolphi*, de osteologia, splanchnologia, et syndesmologia Illustr. *Knape* interfui praelectionibus. Eodem et Illustr. *Rudolphi* in arte cadavera rite dissecandi praeceptoribus gavisus sum. Zoologiam Illustr. *Lichtenstein*, ejusque partem de entozois Illustr. *Rudolphi*; historiam naturalem universam, botanicen, toxicologiam Illustr. *Linck*, physicen, chemiam et pharmaciam Cel. *Turte* et Illustr. *Hermbstaedt* mihi tradiderunt. Physiologiam universam, anatomiam comparatam Illustr. *Rudolphi* me docuit, neque defui scholis Cel. *Eck* de physiologia. Pathologiae generalis, semiotices Illustr. *Fried. Hufeland*, therapiae tam generalis quam specialis Illustr. *W.* et *Fried. Hufeland*, pathologiae specialis et de morbis mentis nec non syphiliticis Illustr. *Horn* praeceptores

mihi fuerunt. Materiam medicam, balneotechnicen Illustr. *Osann*, artem formulas medicinales concinnandi mihi tradiderunt Illustr. *Knape* et Cel. *Casper*, quippe qui artem quoque medicamina praeparandi me edocuit. Celsi de medicina libros Cel. *Hecker* et Hippocratis aphorismos Beat. *Behrends* mihi interpretati sunt. Chirurgiam generalem, fascias rite applicandi praecepta, de ossibus fractis et luxatis doctrinam, artem obstetriciam Illustr. *Kluge* me docuit. Tradidere mihi ophthalmiatricen Illustr. *Jüngken*, medicinam forensem Illustr. *Knape*, chirurgiam specialem Illustr. *Rust*, akiurgiam Illustr. Illustr. triumviri *de Graefe*, *Rust* et *Kluge*. In clinicis autem medicis et chirurgicis Illustr. Illustr. *W. Hufeland*, *Neumann*, *Rust* et *de Graefe* exercitatus sum.

Studiorum hoc cursu peracto in nosodochio caritatis Berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione hac conscripta et palam defensa summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.

Quo facto Monasterium me conferre jussus sum, ut medico-chirurgi apud milites inferioris munera suscipiam.

THESES DEFENDENDAE.

1) *Haemorrhagiae in partu exortae sedandae sunt remediis externis.*

2) *Vaccinatio, etiamsi infantes variolarum infectioni jam expositi sunt, semper instituenda.*

3) *In stadio secundo coxarthrocacis pedem non semper prolongari, sed interdum breviari.*

4) *Syphilidem in puerperio vi naturae medente sanari, puto.*

5) *Condylomata acuminata parasites, condylomata lata exanthema sunt.*

6) *Mercurius solubilis Hahnemanni secundum Schoenemannum in lue adhibitus parum profert.*

7) *Omnium medicaminum antisepticorum Calcaria oxymuriatica praestantissimum.*

8) *Gangraena nosocomialis nunquam morbus primarius.*

9) *Gangraena nosocomialis sola vi naturae medicatrici nunquam sanatur.*

10) *Omnis operatio sic dicta cruenta lethalis fieri potest.*

11) *Quo propius morti, eo ponderosius aegroti corpus.*

12) *Quo melior valetudo, eo in plures morbos propendit.*